

FRIDERICI HOFFMANNI, D.  
Medici Ele&t. Brandenb.

Professoris Medicinæ rerumq; naturalium  
Publici & Ordinarii,

*PROPEM TICON INAUGURALE,*

DE

MEDICAMEN-  
TORUM PRUDEN-  
TI APPLICATIONE.

---

Hala, Typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.



## f. f.

**D**uo sunt quæ potissimum in illo desiderantur, qui sapienter & dextre medicinam facere & ægrotantibus servire allaborat, pri-  
mum ut exactè morbi & ejus causæ indo-  
iem ac originem perspectam habeat; deinde ut medica-  
mentum probatæ & expertæ virtutis ac removendæ mor-  
bificæ causæ aptum prudenter applicare sciat. Huc scopus  
collineat totius scientiæ medicæ, & maximum in me-  
dendi methodo momentum in eo situm est, ut morbo  
cuivis opponat medentis ingenium conveniens & ex-  
optati effectus remedium. Prudens censetur Judex, qui  
claro & ex circumstantiarum serie evidenti reddito fa-  
tus ex lege causæ conformi applicare novit; sic felix &  
rationalis medicus reputandus est, qui ex circumstantiis  
& signis morborum causæ aptissimum potest applicare  
medicamentum. Præcipuum sane in medendo est, judi-  
cium medici, quod potissimum versatur in applicatio-  
ne medicamentorum & hæc est vera medendi metho-  
dus, quæ ex libris non addiscitur, sed per experienti-  
am acquiritur & prudentiam. Perperam plures cen-  
sent à fortuna medici, eventum sanationis & morbo-  
rum

rum dependere. Fortuna in medico est perspicua cognitio causarum morbificarum & remédiorum profundum applicandi judicium, atque ita suarum rerum peritus ac gnarus medicus sibi ipsi fortunam fabricare potest, & *Iuvio autore lib. 5. c. 19.* cuncta quæ summa ratione consilioque æta sunt fortuna semper sequitur; neutiquam tamen animus est, à sola prudentia humana auspicatum sanandi successum semper derivare, sed ul- tro largimur, superiorem quandam cœlestem vim fæ- pissime intercedere, ut, quicquid etiam, quanquam ex arte moliatur medicus, felici tamen caréat successu, ut inde agnoscant ægri pariter & medentes, non solum re- media, verum etiam misericordiam ac benedictionem divinam sanare languores ac imbecillitates corporis no- stri; verissimum tamen est, quod in medendo utpluri- mum adscribitur fortunæ, id dependere à medici pru- dentia ac iudicio. Ut autem in talijudicio nobis forman- do feliciter progrediamur, opus ante omnia erit, ut me- dicamentorum vim, efficiam ac vires, illorumque mo- dum operandi, nocendi bene cognoscamus & sollicite inquiramus: & hæc maximi in medendo res momenti est, utpote medicamina non ratione activitatis suæ, sed receptivitatis operationes suas in corpore nostro exe- runt. Evidem aëtivum quoddam principium ipsis re- mediis inesse concedimus, at illud vero ratione effectus impedire, suspendi, immutari, pro diversitate subjecto- rum observationes practicæ passim loqvuntur. Nullum dubium est, operatione medicamentorum mere esse, mechanicam & ex motus legibus illam optime explicari posse; Quemadmodum vero motus, quod major vel minor, tardior & celerior sit, non dependet à corpori

insita potentia movendi, sed potissimum à resistentia majoris vel minoris alterius corporis: Eodem modo motus illè ordinatus & specificus, quem medicamenta partibus corporis nostri fluidis scenerari debent, non fluit ex efficacia medicamentis insita, sed à varia objecti determinatione. Hinc familiare in praxi est, remedia vim suam sæpius amittere ac retinere, novamque acquirere pro morbi natura & motu, variaque eorum quibus exhibentur conditione; hinc medicamentum qvod unius subiecto prodest, alteri infensum est contrarios producit effectus. Mirum itaque illi falluntur, qui certam vim contra morbum medicamento inesse firmiter sibi persuadent; facillima & felicissima esset medicina, si in quovis morbo tale specificum infallibile, quod semper juvaret haberemus remedium. Plures alioquin doctiores ac cultiores cum ignaro vulgo tam insanam ac cœcam sibi imbiberunt persuasionem, dari medicamenta certa ac præsentissima & quæ unum v. gr. febricitatem juvant alteri etiam necessario prodesse: Nata ex hoc errore est vesana illa sanandi & medicamenta promiscue propinandi libido ac consuetudo, dum quisque ferme impune medicum agit, miseris ægrotis intempestiva morte stolidam hanc sanandi rationem sæpe luentibus; Verum arcanum est applicatio medicamentorum & sane remedia illa solent esse optima quæ minime sunt secreta sed notissima utpote certiore experientia confirmata, prudenter tamen applicata. Ut plurimum signum minus fallax empirici est, qui crepat arcana & infallibilia in morbis remedia; Verum enim vero quamvis talismodi præsentissima remedia, ubi nempe effectus semper in certo morbo respondent, non dentur; certissimum

simum tamen est appropriata polychresta & efficacissima certoque morbo magis apta dari remedia, quæ fidem raro, licet interdum fallant, præeunte circumspeta & cauta applicatione, & quamvis non semper juvent, sufficit tamen, quod multo sæpius perque multos ægros profint; sic notissimum est, quanta efficacia in expugnandis intermittentibus polleat cortex chinæ. Ad luem venereum funditus extirpandam vix potentius dari remedium cœleo mercurio, rite tamen præparato. Opium dolorum faces accensas extingvere creberrima praxis docet & sic in pluribus Suscepit in se eximum hunc laborem præsens Clarissimus Dn.

**JOHANNES CHRISTOPHORUS KLIMMIUS,**  
Candidatus artis Medicæ dignissimus, qui in docta sua inaugurali Disputatione specifica qvædam, seu mayis certis morbis appropriata remedia collegit, illorumque usum & operandi modum solidis rationibus tradit.

Ut autem more recepto clarissimi hujus Candidati ortum & progressum recenseamus, officii exigit ratio. Mundanam hanc lucem aspexit Zimmeræ in Thuringia. Patrem habuit Virum honestæ ac probæ vitæ JOHANNEM KLIMMUM, ante aliquod annos pie defunctum, Matrem ROSINAM GERDRUD, JOHANNIS MEYERI, Wirtenbergici generosisimi Dn. à Wagenheim, prædiorum curatoris filiam, virtute ac pietate conspicuam. Postquam itaque parentes, singularem in ipso in literas bonorumque artium studia amorem perspicerent, statim prima ætate privatim institui curarunt, ubi inter alios præceptorem natus est, Virum pl. Reverendum Dn. Kirchnerum, tunc Pastorem Wiglebiensem, nunc Buslebiensem & Diœceseos Gothanæ Seniorem,

cujus sedulam manuductionem & consilia, constanti grataq; prosequitur memoria; Hujus deinde & beati Paren-  
tis svasu in Gothanum celeberrimum gymnasium se rece-  
pit, ubi sub cura & simul informatione fidelissima præcla-  
rissimorum virorum Dn. Johannis Henrici Hessi, tunc  
temporis subconrectoris. Dn. Wenigerkind Inspe&to-  
ris alumnorum, Dn. Mag. Strobelii Conrectoris, Dn.  
M. Rumpelii (privatim) tum sele&tæ classis Collegæ, nūc  
Superintendentis Salzungensis, & Dn. Georgii Hessi  
Rectoris meritissimi adolevit, & per multos annos sub-  
stitit. Denique literarum ac bonarum artium funda-  
mentis ibi ja&tis, Norimbergam se contulit, ubi in inclytæ  
hujus civitatis Schola ad D. Sebaldi sub Cl. Dn. M. Born-  
meistero, Rectore & historiarum Prof. litteris operam  
dedit, postea in Auditorium publicum promotus, Viros  
celeberrimes, ac de Ecclesia & re literaria optime meri-  
tos beatos Wülfserum, Beerium, Arnoldum, Pastores pri-  
marios ac Professores ejusdem magno cum fructu audi-  
vit: Maxime autem sibi gratulatur qvod tunc temporis  
aditus ipsi patuerit ad Cl. & ingeniosissimum virum  
Dn. Eimmartum Mathematicum ac Astronomum accur-  
ratisimū, cuius familiaritate & quotidiana consuetudine  
multum usus est, ita ut tunc per tres annos rerum cœ-  
lestium observationibns summe curiosis, quibus incre-  
dibili ac indefesso studio vocat, adfuerit. Insuper pau-  
lo ante ejus discessum ad ministratiōni & demonstratiōni  
Anatomicæ cadaveris masculini ab incomparabili & illu-  
stri Medico Dn. Volkamero, Academiæ Leopoldinæ  
Præsidæ & Viro universo literato orbi notissimo factæ  
interesse licuit. Tandem ad Academica studia animum  
suum applicuit & Jenam tanquam emporium optima-

rum

rum scientiarum & artium se contulit, ubi Mathematicis incubuit studiis, eaque sub ductu excellentiss. hujus ætatis Mathematici Dn. Weigelii sedulo excoluit, simulque ipsa medicinæ sacra adire cœpit, & sub auspiciis & manuductione Virorum Excellentissimorum Dn. Wedelii, Crausii & Faschii Professorum Medicinæ ibidem celeberrimorum per triennium diversis in collegiis & lectionibus sese optime exercuit & penne omnes medicinæ partes per collegia varia absolvit. Quibus omnibus laudabiliter peractis ad hunc locum se contulit, & cum Viro Amplissimo ac Mathematico ingeniosissimo Dn. Frid. Madeweisio Sereniss. Eleitoris nostri Secretario & Magistro Postarum, consuetudinem eruditissimam iniit, ejus mensa fere per annum truens. Cujus manuductionem in curiositatibus mathematicis aliisque mirum deprædicat; gratissimo que pectore recondit. Postea vero studiorum ratione sic efflagitante, Academias repeterè voluit, ac visitatis celebrioribus civitatibus inferioris Germaniæ Daniam, ibique Metropolin Hafniam petiit, ubi incomparabili Medico, Philologo consummatisimo Dn. Borrichio & Excellentissimo Bartholino innotuit, à quibus non solum humanissime exceptus, verum ex eorum colloquiis multa ad studium medicum rite formandum ac ad praxin feliciter faciendam proficua haüsít, tandem in patriam revocatus & per Pomeraniam Marchiam ac Saxoniam reversus repetiit Jenam, ibique sedulo iterum audivit celeberrimum Wedelium, cuius informationem in Chymicis practicis & universa medicina fidelissimam dignissimis extollit laudibus. Celeberrimi quoque D. Schelhameri dexteritatem ac informationem deprædicat, cuius pro-

professionibus ac demonstrationibus anatomicis aliquoties interfuit, aliasque ejus lectiones sedulo frequen-  
tavit. Quo a. licentia medendi ac publico testimonio in-  
structus, praxin alacrius exercebat, summos artis medicæ  
honores prius capeſſere constituit. Hunc in finem ad  
nostram novam accessit Academiam, pétens à nobis ut  
summos illos honores sub ſolenniſſimis hujus Acade-  
miæ auſpiciis ipsi conferamus. Admissus itaque ad  
examina prius conſueta ingenii acumen & eruditionem  
ſuam tam in recentiori physica quam medicina mecha-  
nica adeo mihi & à Sereniss. Elect. Dn. Deputatis proba-  
vit, ut ad medicinam exercendam omnino idoneus &  
doctorali dignitate digniſſimus jūdicatus fuerit, & propte-  
rea cathedra publica ipsi assignata ad disputationem in-  
auguralem pro licentia habendam. Hanc autem ſub  
meo præſidio ſolenniter die 18. Jun. in auditorio majori  
inſtituet, quam ut omnes illuſtr. personæ, Magnificus  
Academiæ, & Ampliſſimus Urbis Senatus, omniumque  
Ordinum Doctores, & medicinæ fautores honorabili  
præſentia condecorare velint, prout decet, & par est,  
officioſe, & per amanter rogamus. P. P. ſub figillo

Academico, Halæ Magdeburg. d. 17. Jun.

Anno MDC XCV.

F I N I S.

